


CB 1001322858

FRXVII/133

28956



CONSTITVTIONES
SACRI CONCILII PROVIN-
CIALIS TARRACONENSIS.

PER ILLVSTRISSIMVM, ET
REVENDISSIMVM D.D.Fr.IOSEPHVM SANCHIZ
Archiepisc.Tarraconen. anno 1685. celebrati.



SVPERIORVM PERMISSV.
Barcin. Ex Typ. Cormellas, apud Iacobum Cays.

CONSTITUTIONES

SACRI CONGRGII PROVIN

GENE JARACONENSIS

PER ILLVSTRISSIMVM ET

REVERENDISSIMVM D. P. JOSEPHVM SARRIA

ARCHIEPISCOPO JARACONENSIS



GENE: IN OFFICINA SARRIAE 1787



D. F. IOSEPHVS SANCHIZ

ARCHIEPISCOPVS TARRACONEN.

Hispaniarum Primas.

Ad futuram rei memoriam.



V M tota vis legis ex illius promulgatione confurgat, parumque momenti sit statuta condere, nisi eorundem communis sequatur notitia, idcirco Constitutiones in Sacro Consilio Provinciali, nuper per Nos, anno scilicet 1685. in hac nostrà Civitate Tarracone celebrato, quæ ad commune bonum hujus nostræ Provinciæ maximè conducunt, exem-

plo Prædecessorum nostrorum, prælo dare mandavimus; dum volumen integrum Constitutionum Tarraconensium, additis quæ currenti seculo emanarunt, recuditur. Quod etsi omnium sit in votis, tamen, & temporum injuriâ, & tanti operis mole, indies protrahitur.

ARCHIEPISCOPVS TARRACONENSIS

Hispāniarum Primas.

Ad futuram rei memoriam.



CONSTI-

CONSTITVTIONES

SACRI CONCILII PROVIN-

CIALIS TARRACONENSIS.



I VM Concilia Provincialia, juxta antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, in hac etiam nostrâ Provinciâ Tarraconensi perpetuò observatam, ac etiam juxta S. C. T. præscriptum, celebranda sint pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, & controversijs componendis; opere pretium est Decreta aliqua in hunc finem pro temporum exigentiâ in hac, alijsque sessionibus concinnare.

2 Igitur cum S. C. T. *sess. 24. de reformat. cap. 4. & 7.* Sanctissimè disposuerit, Parochos in suis parochijs, per se, vel per alios, eorum expensis, ab Ordinarijs deputandos, saltim Dominicis, & alijs festivis diebus, pueros in Fidei rudimentis erudire; atque in singulis diebus festivis, vel solemnibus, inter Divinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita, linguâ vernaculâ, populo explanare; Sacro approbante Concilio, hortamur in visceribus Iesv-Christi omnes Rectores, & alios animarum eura habentes, vt hæc S. C. T. Decreta ob oculos habeant, & executioni mandent per se, vel per alios, à suis Ordinarijs in hoc ministerium approbandos. Sin autem aliqui (quod Deus avertat)

negligentes fuerint, Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus, vt qui per quindecim dies, siue continuos, siue interpolatos, in vno anno defecerint, poenâ quinquaginta, vel centum regalium Barchinonensium (arbitrio Episcopi) pro eisdem Ecclesiæ reficiendis ornamentis, puniantur. Si verò anno sequenti, vel alio, similiter iidem defecerint, majori poenâ, arbitrio Episcopi, puniantur. Super quo Ordinarij, & eorum Visitatores, in suis visitationibus, diligenter inquirent; Parochi autem, qui præter Ecclesiam principalem, aliam habent suffraganeam, in vnaquaque illarum, alternis vicibus (pro vt eis melius videbitur expedire) prædicta munia adimplere poterunt, & debebunt.

3. Item, Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus inuolabiliter observari, in totâ nostrâ Provinciâ Decretum, seu dispositionem Sanctissimi Domini nostri Innocentij Papæ Vndecimi. Quod nullus ad Sacrum aliquem ordinem ascendat, nisi prius se præparet, & disponat per exercitia spiritualia; taliter quod per octo ad minus dies, in Conventu aliquo, aut Collegio, aut aliâ piâ domo ab Ordinario designandâ, reclusus, in sanctis meditationibus, alijsque pijs operibus se exerceat, ac per accuratam peccatorum suorum confessionem, ad Sacrum Ordinem suscipiendum se præueniat. Nullus itaque in posterum Sacris Ordinibus initietur, nisi fidele testimonium, super prædictis, Ordinario præsentaverit.

4. Item, Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus, sub poenâ suspensionis, quod nullus, qui ad Sacrum Presbyteratus ordinem ascenderit, primam Missam celebrare audeat, sine expressâ licentiâ in scrip-

tis à suo proprio Ordinario; quam quidem nullatenus ei concedat, nisi prævio riguroso examine super Missæ sacris ceremonijs: & nisi constituto priùs de ejus sufficientia, ex relatione Examinatoris à proprio Ordinario designati.

5 Cum Decreto S. C. T. *sess. 21. de reformat. cap. 2.* cautum sit, ne Clericus Secularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere; vel patrimonium (si Episcopus judicaverit aliquos assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum) perspecto tamen prius, patrimonium illud verè ab eis obtineri, sufficiensque esse ad eorum vitam sustentandam. Cum autem multoties contigerit aliquos Ordinatos fuisse, non interveniente necessitate, vel commoditate Ecclesiarum, neque habentes patrimonium verum super rebus, & redditibus certis, in formâ legitimâ examinatum, & probatum; sed per solam assecurationem victus cum cautione super alienis bonis, quæ omnia vt plurimum fictitia, & cautelosa fore experientia docuit: ex quo passim videmus plures Clericos pauperrimos, cum dedecore status quasi mendicantes, vel sordida ministeria exercentes, per Provinciam divagari. Idcirco, Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus sub pœnâ in Sacris Canonibus constitutâ, quod deinceps similia patrimonia, per solam fideiussionem alendi Clericum, tamquam insufficientia, & contra mentem S. C. T. nullatenus admittantur; sed solum ea, quæ super rebus fructiferis, & redditibus certis, de quibus Clericus ipse per se dispo-

nere valeat, condita fuerint.

6 Item, cum ex eodem S. C. T. *Canon. 9. sess. 13.* omnes Christi fideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneantur singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum Sanctę Matris Ecclesię. Quam quidem regulam, & discretionis annos, in aliquibus locis perperam interpretantes, pueris non ita celeriter vt par erat (juxta cujusque capacitatem) Sacram præbent communionem, sed scimus multos in duodecimo, aut etiam decimoquarto ætatis anno constitutos (qui proculdubio anni discretionis sunt) adhuc non communicare: Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus, omnes vtriusque sexus, qui duodecimum compleverint annum (dum aliàs capaces fuerint) Sacram Communionem in Paschate accipere debere; præcipientes etiam omnibus Rectoribus, alijsque curam animarum habentibus, sub pœnâ quinquaginta regalium Barchinonensium, quod prædictos duodenarios in quaterno, seu libro communicantium describant. Sin autem aliquis ex prædictis præceptum annuę communionis adimplere recusaverit, illum Ordinario suo denuntiet, vt de remedio opportuno provideat.

7 Item, Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus, quod in nocte Nativitatis Domini, alijsque Festivis diebus, vel in die Corporis Christi Domini, vel in majori hebdomade, neutiquam fiant in Ecclesijs, more histrionum, representationes Nativitatis Christi Domini, vel alterius Mysterij, nec processiones in quibus Passio Domini ad vivum per personas representetur; quamvis alioquin similes representationes pię, & laudabiles

biles appareant, cum frequenter indecoræ sint, nec sine indecentiâ fiant. Rectores autem, & alios Curam animarum habentes, qui hujusmodi representationes, in suis Ecclesijs fieri permiserint, poenâ suspensionis, per duos menses, præsentî constitutione damnamus.

8 Ecclesiarum nitore, ac Sacrorum Ministrorum munditie, & decori intendentes, pravosque abusus à templo Domini relegare solliciti, Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus, vt ij, qui Sacris aliquibus ministerijs, sive in choro, sive in altari inseruiunt, nullatenus (etiam secretò) tabachum in pulvere sumant, sub poenâ, & multâ quatuor regalium pro qualibet vice. Reliquos autem choro interessentes, dum recitantur horæ, aut divina celebrantur, monemus, & hortamur in Domino, vt quantum fieri possit, à sumptione tabachi abstineant; siquidem pravus iste abusus, ratione irreverentiæ, in aliquibus particularibus Ecclesijs, per Decreta Apostolica, jam interdictus est. Cum autem putida illa, & sordida consuetudo sumendi tabachum in fumo, & in folio, ita inoleverit, vt multi (prætextu sanitatis tuendæ) etiam ante Missæ celebrationem, aut Sacram communionem, maximâ cum irreverentiâ, in fumo per os attrahant, aut in folio dentibus conterant, Sacro approbante Concilio, pravum hunc, & execrabilem abusum, ante Missam, & Sacram communionem, & horâ integrâ post illam, peractam, sub poenâ excommunicationis minoris, prohibemus, & interdicimus.

9 Totius status Ecclesiastici utilitati prospicientes, cum compertum habeamus redditus, sive dotes beneficiorum indies diminui, incuriâ, aut ignorantîâ ipsorum beneficiatorum, vel quia instrumenta, & cappibrevia

reddituum pereunt morte antecessoris, & aliquando maliciâ illorum, qui emphiteusi, aut censualibus solvendis astringuntur, Sacro approbante Concilio, districtè præcipimus, & mandamus, quod Ordinarij in suis visitationibus, etiam beneficia quæcunque visitet, reponendo in processu visitationis cujuslibet Ecclesiæ, post memoriâ invocationis beneficij, & altaris in quo fundatum est, & onerum ipsi annexorum, nomen etiam possidentis illud, & ad cujus vacationem, & quo titulo illud obtinuerit, & quod præcipuum est, redditus omnes (solerti diligentia conquestos) ad tale beneficium pertinentes notent, memorando, & prækalendariando instrumenta, & personas à quibus tunc temporis redditus exiguntur. Quæ omnia, etsi modò difficilia factu appareant; benè exequi poterunt, si in edicto prævio ad generalem visitationem, denuntietur Rectoribus, & Communitatibus Clericorum, quod convocent omnes Beneficiatos sue Ecclesiæ absentes, ut per se, vel per Procuratores benè instructos, suorum beneficiorum rationem reddant. Secretario autem Visitationis, pro majori labore, designetur à Visitatore modicum aliquod stipendij quod à beneficiato ipso, ex redditibus sui beneficij solvatur; deducendo (si opportuerit) ex oneribus beneficij, pro illâ vice, aliquid quantitati solvendæ correspondens; cum hoc ipsum cedat in utilitatem ipsius beneficij. Similiter, Sacro approbante Concilio, præcipimus, & mandamus, sub poenâ carceris per tres menses, & alijs arbitrio Ordinarij, omnibus beneficiatis præsentibus, & futuris, quod nullus, cujuscunque qualitatis, & conditionis fuerit, unquam audeat firmare luitiones, seu quitamenta censualium ad propria beneficia pertinentium,

tium, nisi quantitas capitalis de facto deposita, aut depositata fuerit, in thecastro Ecclesiæ Cathedralis, vel in banco publico ad communia deposita, autoritate Regiâ designato, aut in alijs depositis ab Ordinarijs, secundum districta suarum dioecesium designandis. Et sub eadem poenâ, præcipimus, quod quantitates depositæ, non nisi cum licentiâ, & decreto Ordinarij extrahantur ad effectum illas iterum imponendi, & quod in omnibus instrumentis incarricationum noviter conficiendis apponatur clausula, quod in casu luitionis, & quitamenti, sub nullitatis decreto debeat quantitas reponi in aliquo ex prædictis depositis, vel tabulis.

10 Ea est hominum versutia, etiam in sacrarum legum intelligentiâ & usu, ut non satis sit optimas leges condere, sed oporteat illas decursu temporis innovare, & ad verum sensum reducere, atque authenticè interpretari. Cum igitur in hoc, alijsque Sacris Concilijs sæpius tractatum fuerit de beneficijs personalibus (quæ ab immemorabili in hac nostrâ Provinciâ Tarraconensi institui solent) ne in eorum fundatione, collatione, aut permutatione, dolus, fraus, illicita pactio, aut aliqua simoniaca labes (quod semper veremur) contingat; Sacro approbante Concilio, & prævio voto Dominorum Consultorum in Theologiâ ejusdem, firmiter decernimus, quod Constitutio Tarraconensis, quæ est *lib. 3. tit. 5. de institut. cap. 5.* incipiens, *Licet Personatus*, literaliter, & ad vnguem observetur. Injungentes, quod in posterum hujusmodi beneficia nullatenus fundari possint in pecuniâ numeratâ, etiam in thecâ, seu banco securo depositâ; sed semper assignata dos sit in censualibus, vel alijs redditibus perpetuis, & rebus fructiferis; siqui-

dem hic est, & debet esse verus, & genuinus sensus prædictæ constitutionis. Similiter, Sacro approbante Concilio, innovamus, & confirmamus Constitutionem Sacri Concilij Provincialis anno millesimo sexcentesimo septuagesimo, celebrati, quod prædicta beneficia nullatenus permutentur, nisi elapso mense, & dimidio à die fundationis, & possessionis eorundem.

11 Cupientes modum ponere super abusu censurarum, & excommunicationum, tum vt ille magis timeantur, tum etiam vt fideles propter leves causas excommunicationibus neutiquam graventur; adhærentes dispositioni S.C.T. *sess. 25. cap 3. de reformat.* præcipimus, & mandamus, Sacro approbante Concilio, quod clandestinæ, seu revelatoricæ, ob vulgares causas minimè concedantur, nec absque cognitione, & examine causæ, ob quam extrahuntur. Similiterque mandata cum censuris minimè concedantur propter debita minoris quantitatis decem librarum Barchinonensium; nisi quantitas debiti oriatur expensionibus censuum, vel censualium aut aliarum rerum, quæ tractum habent successivum. Quo ad censuras verò, quæ expediri solent pro executione alicujus sententiæ, præcipimus & mandamus, Sacro approbante Concilio, quod ad vnguem, & litteraliter observetur dispositio S.C.T. citati, ibi: *In causis vero judicialibus &c.* taliter quod nullus Iudex Ecclesiasticus vti possit censuris, quin prius procedat, vel processerit per realem, aut personalem executionem; vel in casu quo hæc foret impossibilis, aut difficilis.

12 Pariformiter præcipimus, & mandamus, Sacro approbante Concilio, quod litteræ publicatoricæ, antequam populo denuntientur, notæ fiant extrajudicialiter

per

per Rectores, & Curam gerentes, seu Nuntios, scientibus Rectoribus, ipsis contra quos feruntur; vt timore publicitatis, & infamiae perculli, accedere possint ad Actores, & cum illis convenire. Sin autem transacto vno mense à die notificationis litterarum, id non fecerint, nec cum Actoribus convenerint, Rector, seu curam gerens, ipso facto, prædictas litteras populo denuntiet. Si vero Reus ante, vel post denuntiationem dictarum litterarum, cessionem bonorum fecerit in Tribunali, more solito, & pro vt de jure, allegans se pauperem esse, & Actor contrarium minimè probaverit, Reus à censuris absolvatur. Similiter si Reus dicto tempore, coram iudice, oblationem & designationem realem fecerit certorum bonorum debito æquivalentium, & cum effectu, realiter numerando, sumptus exsolverit, à censuris absolvi debeat; siquidem in casibus prædictis, Actor non censetur rationabiliter invitus.

13 Cum ad hoc Sacram Concilium delatum fuisset aliquibus in locis hujus Provinciæ adesse prævum abusum quorundam juramentorum, quæ vulgò dicuntur, *juraments de suspita*, quibus deferentes fructus ex campis astringuntur per Populi Magistratus, in ipso aditu villæ, ad jurandum ex quanam hereditate, seu fundo illos acceperint, vt si furtivi sint, poenas luant contra raptores impositas; nec non in eisdem, aut alijs Populis in more esse accipere juramentum per Magistratus ab omnibus incolis vtriusque sexus, in annis discretionis constitutis, revelandi, sive denuntiandi deprædatores agrorum, vel fructuum, quos, quoquomodo sciverint, nullo excepto; adeò quod etiam filius Patrem, Pater Filium, & vxor maritum suum denuntiare, sub juramento promittant.

tant: attendentes igitur has pravas consuetudines, atque prædicta juramenta, multis ex causis, illicita, & temeraria esse, nec ad aliquid nisi ad illaqueandas fidelium conscientias prodesse; Sacro approbante Concilio, strictè præcipimus, & mandamus, ne deinceps hujusmodi juramenta, in hac nostrâ Provinciâ à fidelibus exigantur.

14 In gratiam, & obsequium Domini nostri Caroli Secundi Regis Catholici, cujus Regia Epistola in hoc Sacro Concilio, omni cum reverentiâ perlecta fuit, præcipimus, & mandamus, eodem Sacro Concilio approbante, quod in omnibus Ecclesijs Parochialibus hujus Provinciæ (pro vt jam in Cathedralibus, ad instantiam ejusdem Domini nostri Regis stabilitum fuit) perpetuò designetur, anno quolibet, specialis quædam dies (quæ Reverendissimis Dominis Episcopis, vel animarum Rectoribus videbitur opportunior) in quâ fiat generale quoddam suffragium solemne pro Animabus Purgatorij promovendo fideles in tam pium opus, & vt dictâ die, in suffragium Animarum Purgatorij, confiteantur, & communicent; eosque præmonendo Sacrum Concilium fidelibus sic confessis octuaginta dies veræ Indulgentiæ concessisse. Tantundem, communibus votis totius Concilij, electæ sunt Parronæ, & Advocatæ pro negotijs Concilij, benedictæ Animæ Purgatorij, vt suis precibus feliciter succedant; & ne redditus Ecclesiarum in earundem suffragium derelicti, tot temporum calamitatibus minuantur, aut depereant; sed magis firmentur.

NOMINA EORVM, QUI
HVIC SAC. CONC. PROVINCIALI
INTERFVERVNT.

ILLVSTRISS. AC REVERENDIS!
D. D. Fr. IOSEPHVS SANCHIZ
Archiepiscopus Tarraconen. Hispania-
rum Primas.

Reverendissimus D. D. Fr. Iosephus Faxeda
Episcopus Dertusen.

Reverendissimus D. D. Fr. Michael de Mo-
lina Episcopus Illerden.

Reverendissimus D. D. Fr. Severus Thomas
Authè Episcopus Gerunden.

Reverendissimus D. D. Ioannes Baptista de
Bach Episcopus Vrgellen.

Reverendissimus D. D. Fr. Benedictus Igna-
tius de Zalazar Episcopus Barchinonen.

Reverendissimus D. D. Antonius Pasqual
Episcopus Vicen.

Admodum R. D. D. Fr. Iacobus Magarola
Abbas

Abbas Sancti Petri de Galligans.

Admodum R. D. D. Fr. Franciscus de Soler
Abbas Sancti Petri de Roda.

Admodum R. D. D. Fr. Ioannes Antonius
Climent Abbas de Amer, & Rosas.

Admodum R. D. D. Fr. Antonius de Planella,
& Cruilles Abbas de Bañolas.

Admodum R. D. Fr. Ioannes Baptista Mon-
tagut Abbas Sanctarum Crucum.

Admodum R. D. Fr. Iosephus Tressanchez,
& Morell Abbas Beatæ Mariæ Populeti.

Admodum R. D. Fr. Augustinus Llorens
Abbas de Benifelsà.

Admodum R. D. Nicholaus Barrera Prepo-
situs Minorissæ.

Admodum R. D. Bernardus Enveja Prior
Sanctæ Annæ Barchinonæ.

Admodum R. D. Franciscus de Ciscar, &
Gravalosa Archipresbyter Ageren.

Reverendus D. D. Iosephus Antonius Valls
V. I. D. Canonicus Sanctæ Metropolitanæ
Ecclesiæ Tarraconen. Syndicus R. Capi-

tuli

tuli ejusdem Ecclesiæ.

Reverendus D. Thomas Pi S. T. D. Precentor, & Canonicus Sanctæ Barchinonen. Ecclesiæ Syndicus R. Capituli ejusdem Ecclesiæ.

Reverendus D. Iacobus Andreu S. T. D. Canonicus Sanctę Vrgellen. Ecclesię Syndicus R. Capituli ejusdem.

Reverendus D. Ioannes Paulus Molner, & Ferran V. I. D. Canonicus Sanctę Illerden. Ecclesię Syndicus R. Capituli ejusdem.

Reverendus D. Ioannes Raphael Holiart S. T. D. Canonicus Sanctę Gerunden. Ecclesię Syndicus R. Capituli ejusdem.

Reverendus D. D. Franciscus Torrelles Canonicus Sanctæ Ecclesię Dertusen. Syndicus Reverendi Capituli ejusdem.

Reverendus D. Salvator Riera V. I. D. Canonicus Sanctę Ecclesiæ Vicen. Syndicus R. Capituli ejusdem.

Reverendus D. D. Ioannes Camps Canonicus Sanctæ Ecclesiæ Coelsonen. Syndicus

Reverendus

R. Ca-

R. Capituli ejusdem.

Reverendus D. Ioannes Macip S. T. D. Ca-
nonicus Sanctę Ecclesię Tarraconen. pro-
curator, & Vicarius Generalis R. Capituli
Coelsonen. Sede Episcopali vacante.

Reverendus D. D. Ioannes Torres, & Coll
Præcentor Sanctę Tarraconen. Ecclesię
procurator A. R. D. D. Iosephi Estornell
de Soriano Abbatis de Cardona.

Reverendus D. Iosephus Fita S. T. D. Cano-
nicus Sanctę Tarraconen. Ecclesię procu-
rator A. R. D. Iosephi Bover Abbatis de
Gerri.

Reverendus D. Bernardus Mirò V. I. D. Ca-
nonicus Pœnitentiarius Sanctę Ecclesię
Tarraconen. procurator A. R. D. D. Fran-
cisci Bernardi de Pons Abbatis Sancti Cu-
cuphatis Vallen.

Reverendus D. Laurentius Palau S. T. D.
Canonicus Sanctę Ecclesię Tarraconen.
procurator A. R. D. D. Fr. Gasparis Ca-
salamitjana, & de Eril Abbatis de Ripoll.

Reve-

Reverendus D. Raymundus Ferrer, & Moller V. I. D. Infirmarius, & Canonicus Sanctæ Ecclesiæ Tarraconæ procurator A. R. D. Fr. Michaelis de Guanter Abbatis de Serrateix.

Reverendus Fr. Vincentius Prada Monachus Regalis Conventus Beatę Marię Populeti procurator A. R. D. Fr. Hieronymi Blanco Abbatis Beatę Mariæ de la O.

Reverendus Fr. Ioannes Reguer Monachus Regij Monasterij Beatę Mariæ Montisferrati procurator A. R. D. Fr. Michaelis Pujol Abbatis dicti Monasterij.

Reverendus Fr. Franciscus Brossa Prior Major, & Vicarius Monasterij Villę Sancti Fœlicis Guixolen. procurator A. R. D. D. Fr. Benedicti Romaguera Abbatis dicti Monasterij.

Reverendus Fr. Iosephus Sagarra S. T. professor Monachus Regalis Conventus Beatę Marię de Benifelsà procurator A. R. D. Iosephi Ferran Abbatis Monasterij Sancti

Sancti Benedicti de Bagijs.

Reverendus Fr. Iosephus Amoròs S. T. professor Monachus Regalis Conventus Beatae Mariæ Populeti procurator A. R. D.

Fr. Bernardi Llop Administratorij Regalis Conventus Beate Mariæ de Escarp.

Reverendus D. Ioannes Camps Monachus Regalis Conventus Schalæ Dei Syndicus

eiusdem Conventus propter absentiam A. R. D. D. Gasparis Gil Prioris dicti Conventus.

Reverendus Fr. Paulus Miracle S. T. D. Monachus Regalis Conventus Sanctarum


Crucum procurator A. R. D. Michaelis Sylvestri de Setina Prioris Ecclesiæ

Roten.

De dicti Illustris. & Reverend. D. mei

Tarraconen. Archiepisc. mandato.

Gaspar de Casals Not. & S. C. P. Tarracon. Secret.



1875

Don Juan de los Rios

Don Manuel de los Rios

Don Maria Populca

Don Bernar de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios

Don Juan de los Rios